

CASUS II. Ernestus per decennium & ultra fuit notorius concubiniarius, ac tandem repudiata confessione in peccato suo induratus obiit. Potestne parochus ipsi denegare sepulturam ecclesiasticam, vel saltem ad aliorum terrorem simulare, acsi esset negaturus? An non poterit ad tempus abire parochus, ut ab alio sacerdote sepeliatur dato huic mandato, ut sine cruce, sine luminaribus & absque aqua benedicta ritus funebres peragat?

B. Non obstante pessima vitæ ratione, quam tenuit Ernestus, non est tamen tractandus ut peccator publicus quantum ad pœnas ab Ecclesia statutas. Adeoque parochus non potest propria autoritate negare ipsi sepulturam ecclesiasticam, quæ etiam cum omnibus usitatis Ecclesiæ ceremoniis erit peragenda. Nihilominus prudentia exigit, ut parochus, si fieri possit, rem ocys deferat ad Episcopum, illiusque dispositioni ad amussin obsecundet. *Pontas.*

Vide *Absolutio. Pœnitentia sacramentalis. Caf. 17.*

## PECCATUM.

1. *Peccatum* in genere est transgressio legis divinæ & mandatorum Dei. Aliud est originale, & aliud personale seu actuale. Peccatum originale est illud, in quo nascimur privati iustitia originali, quodque ex peccato Adami omnes trahimus. *Peccatum originale*, inquit Polmannus, est *iustitiæ originalis mentem Deo subiicientis voluntaria privatio, orta in posteris Adam ex eo, quod in ipso peccaverunt. Dicitur, originale, id est, homini inexistentem ab origine & sui animatione.* Additur, *iustitiæ originalis*, quæ scilicet fuit infusa Adamo in momento creationis præter gratiam sanctificantem & alia dona supernaturalia, quæ postmodum Deus illi contulit. Ad dicitur denique, *privatio voluntaria*, quoad Adamum nempe, cujus voluntas complectebatur, moraliter loquendo, voluntatem omnium suorum posterorum juxta verba Apostoli Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Unde & S. Augustinus ait: *Voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati. Actuale peccatum est, quod nos ipsi actu committimus opere, verbo, cogitatione aut pravus desideriis. Actu quis peccati se reum facit vel perpetrando rem prohibitam ipso facto aut solo animo, ut homicidium, mendacium, furtum, latrocinium, odium &c. vel omitendo rem præ-*

præceptam, ut est auditio Sacri diebus Dominicis aut festis de præcepto &c.

2. Peccatur quandoque in Deum solum v. g. blasphemando; interdum directe contra proximum, ut dum calumnia ipsi inferitur, aut injuste quoquo modo vexatur; & quandoque contra semet ipsum, ut inebriatione, impudicitia aut suicidio.

3. Plura adhuc distinguuntur genera peccatorum relate ad causam, quæ ad peccandum impellit. Sic committuntur peccata malitiæ, quæ fiunt cum plena deliberatione, non obstante instinctu interno aut lumine divino a peccato absterrente; peccatur ex præcipitantia aut vehementia passionis; peccatur denique ex ignorantia culpabili ac vincibili. Hinc dicit S. Gregorius Can. *Sciendum. 22. de pœnit. Peccatum tribus modis committitur: nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut studio perpetratur; & gravius quidem infirmitate quam ignorantia; sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.*

4. Sunt præterea peccata spiritus, quæ potissimum solo animo committuntur, ut est superbia; & alia peccata carnis, quorum objectum sunt voluptates corporeæ illicitæ.

5. Notissima autem ac præcipua peccati distinctio est in mortale ac veniale. *Mortale est peccatum ex se infligens peccanti spiritualem mortem, & constituens secundam mortis reum, id est, obnoxium damnationi æternæ. Dicitur mortale; quia privat animam gratia, dum charitatem destruit, quæ est vita animæ. Peccatum veniale non producit hos duos funestos effectus: est quippe levis offensio, cujus facile a Deo venia impetratur. Est autem levis vel ex sua natura, ut verbum otiosum; vel ex defectu plenæ deliberationis, ut sit in puero nec dum habente perfectum usum rationis; vel denique ob levitatem ac parvitatem materiæ, ut furtum unius pomi aut acus.*

6. Notandum tamen, peccatum veniale posse fieri mortale sextuplici modo. 1. Ratione finis, seu ut loquitur S. Thomas 1. 2. q. 88. art. 2. C. *quia agens in eo constituit finem ultimum*: ut dum quis mavult graviter offendere Deum; quam abstinere ab actu ex natura sua solum venialiter peccaminoso, v. g. dum præfert inutilem conversationem obligationi audlendi sacrum die Dominico aut festo. 2. Ratione pravæ intentionis; ut si quis verbo leviter faceto alloquitur puellam animo inducendi eam ad peccatum, seu, ut D. Thomas ibid. *sum aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.* 3. Ratione conscientie erroneæ; ut dum quis faciendo, dicendo aut omitendo aliquid putet se peccare mortaliter, licet actus in se ex natura sua sit tantum leviter peccaminosus,

4. Ratione *contemptus*; dum quis ponit actum ex se tantum venialiter peccaminosum cum expresso ac formali contemptu Dei actum prohibentis. 5. Ratione *periculi*, dum quis certus de sua infirmitate jocosus dicto alloquitur sceminam, quæ scitur facile inducenda ad peccatum. 6. Denique ratione *scandali*, dum v. g. confessarius aut Religiosus facit aut dicit aliquid, licet ex natura sua solum leviter peccaminosum, ex quo tamen audientibus aut videntibus notabile creatur scandalum. Consulatur hac super re D. Thomas, qui in variis Summæ suæ quæstionibus fuse de peccato agit.

7. Neque hic prætermitenda sunt peccata, quæ dicuntur *omissionis*. Facile cuiquam est in obligationibus religionis vel parum versato advertere peccata *comissionis*; vix enim commissa sunt, & jam remorsus conscientiæ tortores sentiuntur. Non ita se res habet circa peccata omissionis, ad quæ vix ulla habetur attentio; unde raro in confessione exponuntur, licet frequenter longe graviora sint peccatis commissionis. Enimvero cum Deus hanc humanarum conditionum miram varietatem eo fine ordinaverit, ut sociali quodam vinculo sibi invicem omnes cohærerent, vult, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, in ipsa permaneat 1. Cor. 7. v. 20. & in ea permanens salutem æternam consequatur; nemo autem salutem consequi poterit, nisi omnes obligationes status ac vocationis suæ ad amissum adimpleat. Regibus, Principibus, Magnatibus, divitibus, pauperibus, sæcularibus, ecclesiasticis, & cuilibet hominum peculiaris status sui assignata sunt munia, quæ nisi exequantur, strictissimam divine judicii rationem reddituri sunt. Luculentissimum rei hujus argumentum suppeditat Evangelium Matthæi cap. 25. ubi sermo de generali judicio, in quo Christus reprobis exprobrabit peccata omissionis, eosque propter ea ad ignem æternum damnabit, *Discedite*, inquit, *a me maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo & angelis ejus*, addita mox causa damnationis: *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Et propter peccata omissionis infinita propemodum hominum multitudo æternum peribit; neque iis proderunt alia pia opera, etiam supererogatoria; quia cum ea perficerent, alia essentialia obligationis, status ac vocationis suæ non debuissent omittere: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Matth. 23. v. 23.

8. Denique peccata *aliena* dicuntur ea, quæ, licet non committantur a nobismet ipsis, nobis tamen imputabuntur; eo quod ad ea committenda ansam, occasionem, aut quamcumque demum culpabilem causam dederimus, sive jussione, sive consilio, sive approbatione &c.

CA-

CASUS I. Duo studiosi theologiæ curriculum nuper emenâ inter se disputant, an in saniore theologia morali possit sustineri sententia asserens, Deum posse permittere peccatum; unus asserit, & alter negat. Cuiam assentendum?

R. Prior recte sentit, & quidem ad mentem S. Augustini, qui Enchirid. de fid. spe & char. c. 27. n. 8. docet, magis conducere ad gloriam divinam, & infinitæ Dei sapientiæ convenientius esse, si peccatum permittat ex eoque bonum eruat, quam si nullum omnino permittat: *melius enim judicavit de malis benefacere, quam nulla mala esse permittere.* Idem L. II. de Genesi ad litt. c. 4. expendens, cur primos parentes nostros Deus permiserit a dæmone tentari, quos tamen tentationi succubituros præsciret, ait: *Cur itaque tentari non sineret: quem consensurum esse præsciebat; cur id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per poenam: ut etiam sic ostenderet animæ superbiæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse uteretur animarum voluntatibus, etiam malis, cum illæ perverse uterentur naturæ bonis. . . . quia sicut prævidit, quid mali essent facturi, sic etiam prævidit, de male factis eorum, quid boni essent facturus.* Pontas.

Nota. Hæc permissio non est concessio licentiæ, sed dilatio poenæ, vel tolerantia peccatoris ad poenitentiam.

CASUS II. Inter duos Clericos agitabatur quæstio: an omne verbum otiosum sit peccatum veniale. Unus tenuit affirmativam, alter negativam. Cujusnam sententia præferenda?

R. Omne verbum otiosum, fumendo hunc terminum in sensu proprio ac rigoroso, juxta doctrinam S. Thomæ in 2. Sent. dist. 40. art. 5. ad 8. est peccatum veniale; prout & Christus dicit Matth. 12. v. 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Sed sciendum est, otiosi verbi nomine non aliud proprie intelligi, quam quod absque recta intentione aut sine ulla justa ac rationabili necessitate profertur. Inter verba otiosa nequaquam referenda sunt verba jocosâ aut honeste facetosa, quæ quandoque ad oblectationem audientis vel moderatam exhilarationem loquentis proferuntur, & nec religionem, nec proximum, nec bonos mores lædunt; quod & D. Thomas l. c. & q. 2. de malo art. 5. C. observat, dum ait: *Sciendum est, quod secundum Gregorium otiosum est, quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione justæ necessitatis.* Unda non

*non omne verbum jocosum est otiosum, si ad recreationem referatur; quia etiam in jecis contingit esse virtutem extrapeliam, de qua Philosophus in 4. Ethicorum determinat. Pontas.*

CASUS III. Potestne peccatum veniale interdum fieri mortale? e. g. si Joannes ferme quotidie homini alias opulento auferat unum crucigerum? Num peccatum hoc, quod ex natura sua tantum est veniale, potest transire in mortale?

1. Peccatum veniale in individuo spectatum nunquam potest fieri mortale juxta S. Thomam 1. 2. q. 88. art. 4. C. Potest autem peccatum veniale ex suo genere spectatum in certis quibusdam casibus fieri mortale, videlicet ob finem, quem sibi quis proponit, vel ob relationem, connexionem, aut affinitatem, quam peccatum ex se veniale cum mortali habet, vel si aliquis committendo tale peccatum veniale animo sit comparatus ad committendum etiam mortale: v. v. In casu posito Joannes furatur unum crucigerum in actuali animi dispositione furandi etiam aureum, si posset, aut per ablationem crucigeri grave damnum inferre intendit illi, cui auferat, ut idem docet l. c. S. Thomas. Tandem etiam potest formari quaestio sic: An plura peccata venialia ex se possint constituere unum mortale? & respondendum, quod per se id fieri non possit: potest tamen fieri, ut plura peccata venialia constituent mortale, eo quod proxime disponant ad mortale, ut itidem observat S. Thomas. Ratio est evidens; quia, dum quis habitum contrahit peccandi venialiter, majora semper adlicit fomenta cupiditati, ut demum attingat gradum peccati mortalis: sic Joannes, qui quolibet vix non die abutulerat crucigerum, facile disponi poterat, ut data opportuna occasione plus vellet auferre; unde peccatum ipsius, quod ab initio tantum erat veniale, fieri potuit mortale ob pravam dispositionem voluntatis. Hinc & Sapiens dicit Eccli. 10. v. 1. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Aliunde vero fieri potest, ut Joannes unicum tantum surripens crucigerum peccet mortaliter; idque 1. Si credat se peccare mortaliter per ablationem crucigeri. 2. Si furtum hujusmodi ipsi futurum sit occasio proxima peccati mortalis: in hoc enim casu idem sentiendum ac de illo, qui ab experientia scit, se ex confabulatione cum puella saepius jam lapsum fuisse in peccatum, eandem tamen repeteret, licet absque omni prava intentione. 3. Quando per talia minuta surta committit gravem ac notabilem injustitiam, quod fieri posset, dum ultimus cruciger diviti ablati efficit tantam summam, quae constituit peccatum mortale. Pontas.

CASUS IV. Laelius puer sex- aut septennis jam incipit mentiri, ut se excuset, & promeritam castigationem efficiat. Habetne in tenera hac aetate sufficientem rationis usum, ut possit peccare? Suntne mendacia ipsius vera peccata?

1. Aetas sex, septem aut octo annorum non est certa regula, ex qua desumi possit, utrum infans sat rationis habeat ad committendum peccatum. Quantacumque autem sit aetas, tunc certe puer capax est peccati, dum eo pollet judicio, ut agnoscat, mendacium esse malum lege divina prohibitum. *Cum autem mandatum venerit, inquit S. Hieronymus Ep. ad Algasiam, hoc est, tempus intelligentiae appetentis bono, & vitantis mala, tunc incipit peccatum reviviscere, & ille mori, reusque esse peccati: atque ita fit, ut tempus intelligentiae, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem; si agamus negligentius, & occasio sapientiae seducat nos, atque supplantet, & ducat ad mortem.* Et haec est regula, ex qua judicium formari poterit, an mendacia Laelii sint peccata. Pontas.

CASUS V. Victor potestne facere quidpiam, quod ex sua natura est peccatum veniale, si certus sit, quod per id sit impediturus Maevium a peccato indubitato mortali?

1. Juxta S. Thomam in 4. dist. 38. q. 2. art. 4. q. 1. ad 2. certissimum est, quod id facere non possit Victor: peccatum enim veniale, utut levissimum, semper tamen est offensa Dei, vel saltem deviatio a fine ultimo; & cum Deus infinites magis amandus sit quam proximus, nunquam ex amore proximi licet facere quidpiam, quod Deo displicet. Hinc S. Augustinus de mend. n. 14. ait: *Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.* En! haec est doctrina Sanctorum, innixa illa Apostoli Rom. 3. v. 8. sententia: *Non faciamus mala, ut veniant bona.* Pontas.

CASUS VI. Sejus in statu peccati mortalis constitutus plura quoque committit peccata venialia. Potestne obtinere remissionem & veniam horum venialium, si de iis doleat, non cogitet tamen dolere de peccato mortali, in quo versatur?

1. Juxta S. Thomam 3. part. q. 87. art. 4. C. impossibile est, ut Sejus obtineat veniam vel unius peccati venialis, quamdiu est in statu peccati mortalis: remissio enim vel minimi peccati venialis fieri non potest, nisi per virtutem gratiae; haec autem absolute incompatibilis est cum peccato mortali. Pontas.

NOTA. Potest tamen peccator per dolorem de venialibus eorumque emendationem se disponere ad obtinendam conversionis gratiam.

CASUS VII. Hierotimus Religiosus in Ordine quodam reformato professus non servavit jejunium feræ sextæ a Regula præscriptum, licet in eandem diem simul incidisset aliud jejunium v. g. quatuor temporum ac etiam vigiliæ, ab Ecclesia præceptum. In confessione jam se solummodo accusavit: quod die quodam non servaverit jejunium de præcepto, & fuit absolutus. Intelligit autem postea, se commississe duplex peccatum, tenerique utrumque distincte exponere in confessione; cum violaverit duo præcepta, Ecclesiæ videlicet præcipientis jejunia quatuor temporum ac vigillarum, & præceptum Regulæ suæ obligantis ad jejunium feris sextis. Teneturne in conscientia denuo de duplici hoc peccato se accusare?

R. Multiplicatio peccatorum, quantum ad speciem, non præcisè desumenda est a diversitate præceptorum, quæ violantur, sed ex diversitate motivorum, quæ legislatorem determinabant ad condendum hoc vel illud præceptum. Sic homo sæcularis, qui præfato die non jejunasset, unicum tantum commississet peccatum; cum Ecclesia duplicis sui præcepti de jejunio vigillarum & quatuor temporum unum idemque motivum habuerit, ac solam intenderit abstinentiam. Ille vero, qui percussisset, aliquem in ecclesia cum effusione sanguinis, duplex peccatum committeret; unum scilicet contra præceptum divinum, cujus motivum est debita proximo charitas; alterum contra præceptum ecclesiasticum prohibens ejusmodi violationes, quod pro motivo habet virtutem religionis. Ex hoc ergo principio dicendum, quod Hierotimus hac sua omissione jejunii duplex peccatum commiserit; primum contra obedientiam Ecclesiæ debitam præcipienti jejunium quatuor temporum, & cujus motivum est virtus temperantiæ; secundum contra votum emissum, & obedientiam suæ regulæ debitam, cujus motivum est virtus religionis. Unde sequitur, quod confitendo violationem jejunii debuerit exprimere duplex hoc peccatum. *Pontas.*

NOTA. Si confessario jam allunde certo constabat de statu poenitentis, de die violati jejunii, ac de præscripto tam Ecclesiæ quam Regulæ, Hierotimus non videtur obligandus ad repetitam confessionem hujus peccati.

CASUS VIII. Radulphus leve dixit mendacium, simulque inebriavit se die quodam Dominico vel festo. Sunt-

ne hæc peccata graviora, utpote die sacro commissa, quam si alio die profano fuissent commissa?

R. Si peccatum de se jam est mortale, ex circumstantia diei Dominicæ, aut festivæ fit gravius juxta S. Thomam 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. quam si alio die committeretur. Aliud tamen dicendum respectu peccati venialis, per quod non violatur præceptum de sanctificatione diei festi; eo quod sanctitatem non excludat. Hinc mendacium Radulphi die festo prolatum non fit gravius; sed ebrietas procul dubio magis aggravatur ex circumstantia Festi vel Dominicæ. *Pontas.*

CASUS IX. Obertus concepit serium propositum Joanni auferendi 100. florenos, idque vel mox, vel post duarum horarum intervallum exequitur. Peccatne dupliciter, ita ut postmodum in confessione declarare teneatur non tantum actum, sed etiam præcedens desiderium suum?

R. Si Obertus propositum suum mox, ac illud conceperat, absque interposita mora opere complevit, non nisi unicum commisit peccatum; si autem illud, non habita occyus illud exequendi occasione, aliquantisper distulit, duplex peccatum commisit. Ita D. Thomas in 2. Sent. dist. 42. q. 1. art. 1. C. Ratio ipsius est; quia multiplicatio numerica peccatorum desumenda est ex multiplicatione actuum interiorum voluntatis moraliter interruptorum & discontinuatorum; ita ut, dum voluntas peccandi sejungitur ab ipso actu peccaminoso, prout fit, ubi quis concepto proposito peccandi ipsam executionem differt in aliud tempus magis opportunum, duplex committatur peccatum; quia præter primum actum interiorum voluntatis adhuc intervenit secundus actus, comitans ipsam actionem peccaminosam: de quo duplici distincto peccato poenitens tenetur se accusare in confessione. *Pontas.*

NOTA. Cum multiplicationes & morales interruptiones actuum interiorum voluntatis, maxime ubi non cum plena deliberatione deponuntur & denuo assumuntur, exacte sciri nequeant, sufficit, si poenitens confiteatur, quanto tempore inhæserit ejusmodi malo proposito.

CASUS X. Caprasius catholicus, dum in Angliâ morabatur, deprehensus fuit, cum actu exhortaretur alios catholicos ad constantiam in sua religione, quæ diris illa tempestate in hoc regno persecutionibus exagitabatur. Comprehenditur a satellitibus, qui sclopeto pectori admoto mortem minitantur confestim inferendam, ni prodat sacerdotes catholicos hinc inde latentes, simulque promittat, post-

posthac non amplius exhortaturum se catholicos ad perfectionem constanter sustinendam. Queritur jam, an hic metus mortis excusaret eum a peccato, si haereticorum imperata faceret.

ꝛ. Non potest absque peccato prodere sacerdotes latentes; quia sic cooperaretur ad destructionem religionis, quod in nullo unquam casu sub quocumque demum praetextu licet: juri enim naturali ac divino repugnat prodere emolumenta Ecclesiae Jesu Christi, aut tradere fideles ipsius ministris furori ac odio inimicorum. Quod si vero Capraeus ipsemet non sit pastor ac curae animarum ex officio deputatus, potest promittere, non exhortaturum se amplius catholicos; etiamsi Episcopus id ipsi muneris injunxisset, quod utique Episcopus in tanto periculo imperare non potest. *Pontas.*

NOTA. Hoc intelligendum de praedicatione Verbi divini, & exhortatione publica; privatae enim ne quidem laicus renunciare potest.

CASUS XI. Leufridus de pluribus mortalibus se accusavit in confessione, & fuit absolutus; post bimestre tamen in eadem relabitur. Reviviscuntne quoad culpam praecedentia ipsius peccata?

ꝛ. Bona quidem opera per peccatum emortua reviviscere communis Theologorum est sententia; sed aliud dicendum de peccatis per poenitentiam sinceram & sacramentalem absolutionem deletis: dici enim nequit sine contradictione, id, quod totaliter destructum & extinctum est, denuo resurgere. *Divina clementia*, inquit Gelasius Papa Can. *Divina*. fin. de Poenit. dist. 4. *dimissa peccata in ultionem ulterius redire non possunt*. Observandum nihilominus est, peccatum, in quod quis relabitur, involvere multo majorem contemptum Dei ac divinae misericordiae, & propterea fieri gravius, ac consequenter acerbioris poena dignum. Hinc passim post S. Thomam 3. part. q. 88. art. 1. C. docent, peccata per poenitentiam remissa quodammodo reviviscere per novum peccatum mortale ob ingratitudinem, cujus peccator se reum constituit. *Pontas.*

CASUS XII. Orontius confessarius excipiens in confessione peccata turpia in delectationem carnalem prolapsus est; & tamen poenitentem sacramentaliter absolvit, quin prius actum contritionis eliceret. Commisitne novum peccatum?

ꝛ. Commisit novum peccatum, nisi poenitens in ejusmodi rerum articulo versatus fuerit, ut sine absolutione decessurus

furus crederetur, si ea vel minimum retardata fuisset: in hoc enim casu necessitas promptissime absolvendi moriturum praeponderaret in confessario necessitati eliciendae contritionis de proprio peccato. C. B.

NOTA. Contritio utique quovis momento elici potest, vel saltem conatus adhiberi; & hinc confessarius iste non videtur excusandus.

CASUS XIII. Amandus parochus sollicitatus ad flagitium a parochiana non quidem expresse consentit; dicit tamen: Bono fato tuo sum parochus; secus enim... Peccavitne graviter sic loquendo?

ꝛ. Peccavit graviter, & primo quidem peccato scandalii; quia sat manifeste his verbis indicat sollicitanti pravam suam dispositionem animi, & voluntatem consentiendi, nisi ratione status sui gravibus se poenis expositum iri timeret. Peccavit secundo contra castitatem; quia haec ipsius voluntas est vera pessimi propositi manifestatio, quod solum ratione status sui exequi non auderet. Interim tamen, si non serio, sed tantum ex quadam levitate animi sic loquutus est, fieri posset, ut peccatum contra castitatem non esset mortale. A gravi autem peccato scandalii considerata qualitate pastoris animarum excusari nunquam poterit. C. B.

NOTA. Nec a peccato mortali contra castitatem videtur eximi posse ob levitatem animi: in tentatione enim tam valida ac periculosa debuisset positive ac efficaciter resistere, ex officio ut bonus pastor sollicitantem acriter reprehendere, ac a proposito, quantum in se erat, deterrere.

CASUS XIV. Valerianus praevidet, se, dum equum conscendit iter facturus, experturum in corpore motus inordinatos ac turpes. Teneturne propterea abstinere ab usu equi?

ꝛ. Non tenetur; dummodo per usum equi non habeat intentionem formalem excitandi in se tales motus, nec etiam, dum oriuntur, consentiat, nec ullam exinde delectationem concipiat. Ratio est; quia ejusmodi motus in ipso nascuntur mere per accidens, & contra ipsius intentionem, ac usus equi de se est licitus. Jam vero effectus utut praevius, qui sequitur solum per accidens ex causa alias licita, non debet imputari illi, qui ponit hujusmodi causam; alias dicendum foret, confessarium, medicum & chirurgum obligari ad dimittendas suas functiones etiam in casu, quo adesset periculum solum remotum sentiendi con- similes motus. C. B.

**NOTA.** Si Valerianus adverteret, se per ejusmodi motus carnales vel pollutiones exponi gravi periculo consensus in peccatum formale, teneretur abstinere ab ejusmodi commoditate non necessaria,

**CASUS XV.** Euprepia puella sæpius vexatur cogitationibus castitati contrariis; sed sicut iisdem assensum nunquam præbet, ita etiam de iisdem excutiendis parum sollicita est. Num peccat?

**R.** Potest absolute contingere, ut non peccet; supposito quod nulli se exponat periculo consensus vel delectationis. Sed quia admodum difficile est, ut tentatio serius aut citius de voluntate non triumphet, dicendum, puellam, quæ taliter se gerit, non fore immunem ab omni peccato; quia nimium de viribus suis præsumit. C. B.

**NOTA.** Non licet se habere negative ad insurgentes tentationes carnis; & hinc videtur, ejusmodi puellam peccare mortaliter, si non adhibeat resistentiam positivam, v. g. avertendo animum ad aliud objectum.

**CASUS XVI.** Petrus bonum alienum, quod absque ullo suo incommodo potuisset restituere, retinuit apud se per integrum annum. Quæritur, quot commiserit peccata.

**R.** Si Petrus durante toto hoc tempore formaliter renovavit propositum non restituendi, vel si concepto restituendi proposito noluit oblata opportunitate id exequi, peccavit toties, quoties renovavit hoc propositum, aut restituere noluit concepto proposito & oblata restituendi occasione. In quibusvis aliis circumstantiis Petrus procrastinando restitutionem semper magis aggravat peccatum, non tamen novum committit peccatum. C. B.

**CASUS XVII.** Titius violentæ tentationi assensum præbet; quærit igitur occasionem passioni suæ satisfaciendi, eamque invenit, & dum totus indulget sceleri, centies renovat conceptum jam antea desiderium exsatiandi libidinem suam. Quot commisit peccata?

**R.** Commisit tantum unicum; quia omnes hi actus Titii, quasi præparatorii ad consummandum flagitium, constituunt unum moraliter totum cum primo consensu efficaci, quem tentationi præbuit. Ita communiter Doctores sentiunt. C. B.

**NOTA.** Non omnes, nec plerique Doctores sic sentiunt; imo talis poenitens tenetur explicare moram temporis, quo inhæsit peccato juxta dicta casu 9.

**CASUS XVIII.** Livius jam per integrum triennium omitit tam confessionem quam communionem; eo quod sciat, se non esse dispositum, cum tantum sibi imperare non possit, ut deponeret odium erga inimicum suum, nec vellet committere sacrilegium, hoc in statu Sacramenta percipiendo. Quot numero peccata commisit?

**R.** Inprimis peccavit contra præceptum confessionis & communionis: sicut enim excommunicatus vi præcepti communionis paschalis tenetur tollere impedimentum, quod obstat, quo minus possit adimplere dictum præceptum, peccatque illud non auferendo; sic etiam Livius peccat non deponendo omne odium, ut digne ad sacram communionem possit accedere. Itaque commisit ad minimum sex peccata; quia ter violavit duo præcepta: præceptum enim communionis est distinctum a præcepto confessionis, potestque unum obligare, & quandoque obligat, quin obliget alterum. C. B.

**CASUS XIX.** Sabina vix tribus elapsis horis a sumptione Eucharistiæ adulterium commisit. Teneturne hanc circumstantiam in confessione exponere?

**R.** Non tenetur; quia tempus, quod intercessit communionem inter & perpetratum peccatum, est satis longum, ita ut dici nequeat, circumstantiam hanc esse notabilem irreverentiam erga Eucharistiæ Sacramentum. C. B.

**NOTA.** Juxta sensum communem doctorum & indoctorum hæc irreverentia gravis est; aut certe pertinet ad circumstantias notabilitate aggravantes malitiam peccati.

**CASUS XX.** Sylvia ancilla domestica Heri sui hætenus concubina eo jam redactam se videt, ut, si velit abrumperetur turpe commercium, publicæ infamiæ semetipsam sit expositura & periculo, ne dira necessitate cogente in lascivias præteritis multo atrociores sit prolapsura, aut certe ad extremam pauperiem redigenda; vel si in domo Heri permaneat, lascivos autem amplexus ejus ultra non admittere statuat, periculum mortis vel saltem crudelissimæ tractationis sit subitura. In extrema hac necessitate consilium petit a confessario. Quid ipsi consulendum?

**R.** Confessarius debet ipsi injungere, ut eo ipso adhuc die relicta pro semper domo Heri sui Deo se commendet, & cæterorum nihil metuat; quia Deus, qui neminem in necessitate deserit, certe curam illius habiturus est. Rationes omnes, quascumque asserere possit pro sua persistentiâ in domo Heri, debent cedere rationibus, quæ fugam